

QK. 387, 33.



COMMENTATIO HISTORICA
DE
VLTIMA RVDOLPHI I. CVRA,
VT FILIVS IN REGNO SVCCEDAT,
QVAM
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
AVGVSTO LUDOVICO
DE WVLCKENIZ,
SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO-CAS-
SELLANI MINISTRO STATVS INTIMO, PRAE-
SIDI REGIMINIS ET LEGATO SPLENDIDISSIMO
IN COMITIIS IMPERII GENERA-
LIBVS REL.

IN SIGNVM ADDICTISSIMAE MENTIS OFFERVNT SIMVLQUE
VIRO EXCELLENTISSIMO
FAVSTA QVAEVIS PRECANTVR

LUDOVICVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ, AVCTOR,
ET
CAROLVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ.


FRANCOHVSÆ, LITTERIS KEILIANIS,
ANNO MDCLIII.



COMMUNITATIS HISTORIA
ARTICULI I. QVADRIVTA
CICERO.

Lib. I. de Officiis. cap. 20.

Fortis & magni est animi, nulli neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunae, succumbere.



A LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
MURSIA. Quamq[ue] exinde etiam quoque
admodum raro sunt inveniendi
in codicibus quod videlicet solum unum.



uodsi bene hominum opera col-
locatur in explicandis iis,
quae de Imperatorum uete-
rum rebus gestis antiquissimi
scriptores prodiderunt memoriae: nihil sane
studio nostro dignius extat quam RUDOL-

(2) PHI

PHI I. hystoria. (a) *Namque sicuti homines
pinguntur non graui morbo affecti, sed ex illo
recreati: ita etiam tanto laetior est uultus
patriae, quem exprimimus *RVDOLPHI I.*
tempore, quanto acerbiora pristina, & quanto
laetiora tunc erant tempora.*

*Ex tam multis scriptoribus, quibus abun-
dat nostra aetas, pauci tantum res gestas
RVDOLPHI nostri attigerunt. (b) Et
quamuis R. P. PEZIVS thesauros illos
aperue-*

(a) Testatur nouissime Dominus *P V T T E R V S* Praefat.
der Staats - Veraenderungen des Teutschen - Reichs.

(b) Dni. *B V D E R I* Bibliotheca scriptorum Rerum Germani-

I H P carum §. 81. p. m. 133.

aperuerit, quorum tanta omnium fuit expe-
ctatio, (c) uirtus tamen Imperatoris praeco-
nem adhuc non inuenit.

Haec omnia parandae ueniae causa dixi-
se sufficiat, cum hae pagellae non nisi ob magnum
RUDOLPHI nomen *TVO, VIR EX-*
CELLENTISSIME, splendido nomine dig-
nae sint.

Nos quidem testamur hic publice clemen-
tiam illam humanitatemque singularem, qua nos,
Ratisbonae cum essemus, excepisti, qua gratius
nihil nobis contingere poterat, quaque postea
etiam ita nos complexus es, ut nemo magis.

*Accipias, VIR EXCELLENTISSIME,
serena fronte benignoque, ut, quae magna no-
stra felicitas est, soles, vultu, hunc libellum no-
strum, non sua praestantia sed obstrictissimi no-
stri animi publica professione se commendantem.*

*Ceterum Summo Deo magnorum hominum,
praesertim TVI, custodi, pro incolumente
TVA supplices castasque fundimus preces.
Veneramur illum affectu pio, ut famae TVAE
tot tantisque praeclare factis partae, perpetui-
tatem, nominisque claritati addat eiusdem aeter-
nitatem.*

BENEVOLO LECTORI
S.

De Historia RUDOLPHI I. pro virium nostrarum tenuitate inchoantes, IMPERATORIS ELECTIONEM, & ob ultimum eius iter MAVSOLEVM SPIRENSE, singularibus libellis, partim cum adhuc Gottingae essemus, partim eo tempore compositis cum VENERANDI PARENTIS bibliotheca frui liceret, descripsimus, ad quod quidem tempus non immerito etiam huius ingenii foetus natales referes. Pertinet quoque ad eandem materiam fratris carissimi commentatio de TRIBVTC OLIM A PONTIFICE ROMANO CLERICIS GERMANIAE IMPOSITO. Nunc VLTIMAM EIVS CVRAM, tuis B. L. oculis subiicimus, quae eo tendebat, ut posteri Imperatoris summam Imperii tenerent. Tu uero AMICE LECTOR, ut quae nostris temporibus tractantur negotia, feliciter & in honorem & prosperitatem reipublicae nostrae cueniant, nobiscum exoptes, nostrisque fauens laboribus. Dab. Arolsen. Mens. Mart.
A. R. S. 1753.

Elen-

Elenchus.

- §. I.) Causae ob quas Rudolphus de successore cogitauerit.
§. II.) Mediis optimis ad obtainendum finem usus est.
§. III.) Francofurti comitia celebrat, & inter alla negotia cum
Principibus de eligendo filio tractat.
§. IV.) Sed aduersa eorum experitur studia.
§. V.) An causae recusationis ab iis allatae fuerint iustae.
§. VI.) An duos habere Reges licuerit?
§. VII.) An haec omnia ad ingratam Procerum mentem referre
fas sit?
§. VIII.) Ea quibus Rudolphus inductus ad petendum.
§. IX.) Ea quibus Proceres ad id inducti sunt, ut refragaren-
tur petitioni.
§. X.) Quae ulterius deducuntur.
§. XI.) Rudolphi aduersa ualetudo & comitiorum finis.
§. XII.) Rudolphus magno animo haec omnia tulit.

§. I.



S. I.

Imperium RVDOLPHI I. sapientia consilio atque auctoritate munitum, claritate felix, blandum pace amicumque concordia, non minus praeclare est finitum, quam bonis auspiciis coeptum. Nos quidem dicturi de ultima sapientissimi Imperatoris cura, tanto illustriorem rem nos tractare iudicamus, quanto maior haec ultima reliquis diui RVDOLPHI curis fuerit.

A RV.

RVDOLPHVS bellis feliciter gestis, magis adhuc pace restituta nobilitatus, cum se letho esse proximum sentiret, nihil tam acriter curauit, quam ne respublica Germanica etiam post ipsius obitum quid detrimenti caperet. Ob hanc causam optimum Imperatorem moribundum de eo, ut ALBERTVM filium regalis purpura ornaret, fuisse sollicitum, uel ob uirtutem eius praestantissimam credemus, etiamsi hac de re nullius scriptoris testimonium adduci posset, quod tamen non de-
est. (a) Qua quidem in re eo magis eluet RVDOLPHI sapientia rerumque peritia, quia idem uidebatur eo tempore iis, qui aliquam reipublicae habebant notitiam. Electores enim cum uiuo FRIDERICO II. eius filio

CON-

(a) *Chronicon S. Petri Erfurtense* p. 300. Tom. III. Collect. MENCKEN. *cum quibus idem glorioſus Rex de ſuccēſſore imperii pro babenda perpetua pace tractauerat.*

CONRADO IV. tribuerent regis Romano-
rum dignitatem, rationem coepti consilii in eo
positam esse dicebant, quod ueluti nauis abs-
que gubernatore, sic etiam Germania absque
Imperatore committeretur fluctibus. (b)

Sed cum etiam familiae salutis RVDOLPHO semper antiquissimam curam fuisse an-
nales dicant ueteres, quis dubitabit etiam ob-
eam optimum Imperatorem filium in eius lo-
cum subrogandum curasse? Hoc enim si omi-
fisisset RVDOLPHVS, dubium non est, quin
posteritas, quae de maioribus ex eorum factis

A 2 saepe

(b) uid. Decretum Electionis Conradi IV. in LEIBNITII
Cod. Iur. Gent. Diplom. Prodrom. n. XI. p. m. 9. ibi:
*Illud etiam diligentius attendantes, quod post unius regnani-
tis occasum, interstitium temporis inter praedecessoris obi-
tum & plenum Dominium successoris, quod interregnum
ueteres appellabant, grande posset Imperio, sed & Catholi-
cae fidei maximum afferre discrimen, praeuenire salubrius
tempus eligimus, quam dispendium temporis expectare.*

faepe acre iudicium facit, de mira negligentia
eum accusaret. ^(a) Et cum duo summa sint ho-
minum bona, quorum unum opes, alterum
dicimus dignitatem, hanc RVDOLPHVS
nunc quoque familiae augendam studuit, cum
auxisset illas.

Praesertim uero filii ALBERTI maxi-
mam semper habuerat curam, ^(c) qui a patre
& Austria acceperat, & multis aliis beneficiis
ornatus erat. ^(d)

Accessit occidua optimi Principis senectus,
& inclinata in deterius ualetudo. Namque
cum Erfordiae esset, ibique, ut solebat fidissi-
mus egregiae pacis custos, pacem inter eos,

^(c) B. HOFFMANN VS de Rege Rom. uiuente Impera-
tore Elect. Cap. I. §. 3. p. m. 42.

^(d) Cuius rei qui exemplum nosse cupit, adeat SCHAN-
NATI Histor. Ful. Part. III. p. m. 206. & Codicem
Probat. Hist. Fuldens. n. 99. p. m. 210. seq.

qui in contentionem inciderant, conciliaret, (e)
mortem sibi imminere senit. (f)

RVDOLPHVS a pueris belli laboribus
exercitus, post acceptam quoque summam di-
gnitatem omne fere tempus in molestis itineri-
bus consumxit. Quibus rebus factum est, ut
corpoere tantis laboribus debilitato leuiori quo-

A 3 que

(e) SIFFRIDVS PRESEYTER ad an. 1290. p. 1050.
Tom. I. Collect. PISTOR. Edit. STRV.

(f) Optime, & pro saeouli more ingeniose rem deseribit
OTTOCARVS HORNECKIVS Cap. 375. p. 341.
Tom. III. script. PEZII.

*Die weil der Kunig ze Erfort lag
Vnd maniger Vnmuse pfleg,
Der dem Reich waz not,
Die pegund sich der Tod
Machen auf sein Spar
Wo der Kunig gie vor
Da staich er Im nach.*

add. HAGENI Germanic. Austr. Chron, p. 109.
Tom. I. scriptor. PEZII.

que morbo in periculum uitiae adduceretur.
Itaque ante uitiae finem id studuit perficere,
cuius nunquam fuerat securus, nempe ut filius
ipso defuncto esset Imperator.

His rationibus permotum putamus Princi-
pem de salute imperii meritissimum grauissi-
mum illud suscepisse negotium. Qua quidem
in re ita uersatus est, ut nihil uirtute sua indig-
num commiserit.

§. II.

RVDOLPHVS noster ut perueniret, quo
destinauerat, ea incessit uia, qua multi alii ante
eum Imperatores incesserant. Saepe enim Im-
peratores sani, saepissime etiam moribundi de
successore cogitauerant. Quibus rebus factum
est, ut illis temporibus, in quibus pauca certa
multa incerta uidemus, in arbitrio Imperato-
rum fuerit fere positum, summae dignitatis
candidatum quenquam quasi denominare,
quem

quem Principes, si dignum inuenirent, eligerent. (a) Salua tamen Principum eligentium fuerunt iura, uti a multis doctissimisque demonstratum est uiris. (b)

RVDOLPHVS itaque idem impetrare conabatur, quod alii Imperatores iam impretrauerant. Quorum in numero inuenimus HENRICVM I. (c) qui etiam uti RVDOLPHVS noster, tunc demum de successore fuit

(a) uid. *Untersuchung von dem Roem. Koenige §. 5. p. m. 107.*
In der Sammlung derer Schriften, von der R. Koenigs-
Wahl, ao. 1751.

(b) uid. Dni WIDEBVRGIL *Comentarius de libertate Ele-*
ctorum S. R. I. in eligendis Regib. Roman. add. Dn. IO A-
CHIMI Historisch und rechtliche Abhandlung von dem
Teutschen Wahl-Reich, p. 21. p. 24. & p. 29.

(c) LVITPRANDVS Lib. IV. Cap. 7. CONTINVATOR
REGINONIS ad an. 936. p. 103. Collect. PISTOR
STRVV.

follicitus, cum mors immineret. (d) Illustrē
est exemplum HENRICI sancti, quem ex
uita discessurum interrogasse dicuntur Princi-
pes, quis successor ei placeret, & placuit CON-
RADVS, quem SAL ICVM uocant. (e)

Tam uerum quidem est, quam quod ue-
rissimum, SALLVSTII illud: *gloriam, hono-
rem, imperium, bonus, ignarus, aequa sibi exop-
tat.* Sed tam diuersus modus est acquirendi
imperium bonorum malorumque Principum,
quam ipsi boni & mali inter se differunt.

Qui-

(d) AVCTOR VITAE MATHILDIS Cap. 2. Tom. I.
Collect. LEIBNIT. *Languore correptus ui febrium nimi-
um laborauit, sed parumper sedato infirmitatis dolore inde
ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos regni Principes
conuenire preecepit, ut se inuicem coadunarent, quem suo-
rum filiorum regale solium possidere eligerent.*

(e) OTTO FRISING. in Chron. libr. VI. Cap. 28. p.
132. Collect. VRSTISII.

Quibus artibus CAROLVS IV. effecerit,
ut summa dignitas in filium transferretur, &
quemadmodum non tam suasor & hortator
quam potius emtor eiusdem honoris extiterit,
satis puto, constat. Expugnata enim sunt pro-
lixis promissionibus Principum Electorum uota,
& uendita iis, non sine detimento imperii eius-
que Domanii, publica uectigalia. (f) R V DOL-
PHVM uero nostrum quamuis nec precibus
nec promissis, quae ad finem suum obtinendum
tendebant, parceret, tam abiecta tamen & ini-
qua ratione filio summam dignitatem emere
uoluisse non censemus. Namque ob bene ge-
stum imperium se mereri confidebat, ut post
obitum suum filius praecesset regno. Namque
optimi quique Imperatores, bene gesti Impe-
rii

(f) uid. DVBRAVIVS Hist. Bohem. Libr. XXII. p. m. 596.
add. Untersuchung von dem Rom. Koenige. Sect. I. §. 8.
p. m. 109.

rii quasi praemium acceperunt spem successio-
nis ad filios aut agnatos translatae. (g) Qua
quidem in re petenda tanto securior uidebatur
RVDOLPHVS, quanto magis tot tantisque
obstrictam sibi habebat Germaniam benefi-
ciis, operibusque.

Denique etiam non ui cogere, quam potius
hortari Principes ab iisque quod uellet, quodque
in eorum arbitrio positum esset, petere, dignum
esse Imperatore iudicabat RVDOLPHVS.
Quam propter causam conuocauit Principes
Electores Francofurtum, ut, quid sentirent, ex-
periretur. Nos quidem hos sequemur, & quid
Francofurti hac de re actum sit, narrabimus.

§. III.

Imperator noster tunc Erfordiae erat, in
componendis dissidiis inter ALBERTVM Thu-
ringiae

(g) B. HOFFMANNVS de Rege Romanor. Cap. II. §. VI.
p. m. 120.

ringiae Landgrauium, filiosque ipsius occupatus acerrime. (a) Ex quorum comitiorum strepitu reficiebat interdum animum atque cum liberis suis, qui ibidem erant, curis gaudia interponebat, lusumque animo dabat, ut ad tractanda magni momenti negotia eo melior rediret. (b) Denique etiam RVDOLPHVS Erfordiae consilium summae dignitatis in filium transferendae si non cepit, tamen ibi Proceribus indicauit. (c) Ad quod propositum persequendum indixit Principibus Francofurti comitia, id quod ipsis Principibus petenti-

B 2

bus

(a) SIFFRIDVS PRESBYTER ad an. 1290. p. m. 1050.
Tom. I. collect. PISTOR. Edit. STRVII. ROHTE.
Chron. Thuring. T. II. collect. MENCKEN. p. m. 1748.
ECKSTORM. Chron. Walckenr. p. m. 110. Ibi Diploma.

(b) SIFFRIDVS PRESBYTER loc. cit.

(c) uid. 100 loc. cit.

bus factum est. (d) Appropinquante comitiorum tempore magna hominum multitudo conuenit. (e) Erant ibi magni erant etiam minores Principes, (f) & comites, liberi, seruique homines. (g)

Tandem etiam Rex RVDOLPHVS Francofurtum se contulit, & ut ius diceret, & ut perficeret ea, quae exorsus erat. (h) Itaque omnibus congregatis, quorum intererat, RVDOLPHOQUE iustissimam ab iis rem pente

(d) HORNECK loc. cit. p. 341.

*Wann er durch der Fürsten Pet
Ainen Hoff het
Gesprochen hincz Frankfurt.*

(e) HEINECCI Antiquitates Goslar. Libr. III. ad an.
1291. p. m. 310.

(f) HORNECK loc. cit.

Die Fürsten groz und cblain.

(g) IDEM loc. cit.

(h) TRITHEMIUS in Chron. Hirsaug. ad an. 1291. Tom.
II. p. m. 55.

tenté; quis dubitabit huic omnia euénisse felicitter. Sed fortuna, quae omnia, seu numine potius, quod mundum & fortunam regit, fatum est, ut RVDOLPHVM spes falleret.

S. IV.

Namque etsi RVDOLPHVS bene habebat perspectum nihil hac in re nisi precibus ab Electoribus posse impetrari, ob eamque causam blande modesteque illos de filio eligendo rogaret, ^(a) tamen aduersa eorum expertus est studia. Quibus rebus factum est, ut minus laeta RVDOLPHO essent ista comitia, atque ex uoto haud succederet negotium. ^(b) Inuitauit quoque RVDOLPHVS proceres mul-

B 3 tis

(a) TRITHEMIVS loc. cit. add. CVSPINIANVS in
RVDOLPHO I. p. m. 354.

(b) Chron. Colmar. ad an. 1291. p. m. 26. Collect. Vifsis: Rex
RVDOLPHVS curiam celebravit non ad suam per omnia
uoluntatem.

tis pollicitationibus ad id, ut filium regni heredem acciperent, sed frustra inuitauit. (c)

Negarunt enim Proceres, fiscum imperii duobus regibus sufficere, (d) afferentes simul neque in Germania duos summa imperii potiri, neque RVDOLPHO uiuente alium simul summum gradum dignitatis tenere posse. (e) Imperator quamuis causas, quas Principes interserere conabantur, minus firmas esse, illosque iustum recusationem non habere sagacissima mente bene perspiceret, tamen etiam hoc uti omni tempore uirtutis & prudentiae egregium fuit posteris documentum. Cum enim
RVDOL-

(c) TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* Tom. II. ad an. 1291.
p. m. 55. *Magnis alicere promissionibus tentabat.*

(d) TRITHEMIUS loc. cit. *Satisfacere uni pro maiestatis honore cum uix possint, multo minus duobus sufficerent.*

(e) IDEM loc. cit. *eum se Regem habere uiuentem super quem alium inducere non liceret.*

RVDOLPHO omnis spes in precibus esset posita, Principes, quos antea rogauerat, nunc orare coepit & obtestari. (f) Quibus optimi Imperatoris precibus commoti Principes ei non omnem prorsus praecidebant spem, sed in alio conuentu se de illa re acturos promittebant. (g)

Quo ancipiti procerum responso contentus quamuis non esset RVDOLPHVS, tamen tempori cedere, & repulsam patienter ferre satius duxit, quam magno animi fero rem deteriorem facere.

§. V.

Has repulsa causas dignas esse, quae penitentur aequa iudicij lance, quis dubitabit, cum ob eas illa maximi momenti res effectu fuerit destituta? Et quod haud

raro

(f) TRITHEMIVS loc. cit.

(g) IDEM loc. cit.

raro in uita humana contingere scimus, ut res minimae noceant magnis, idem etiam hoc tempore factum est, cum causae, quae nihil ponderis haberent, pro ratione starent.

Namque ad tenuem & modicum redditum, quod attinet, qui ex imperio Imperatoribus praestaretur, fortasse ille tunc, ut erant tempora, modicus erat.

Sed an his, quae ex Germania redirent, seu potius propriis opibus tunc summa dignitas sustinenda fuerit, ^{in dubium esse uidetur?} Nos quidem cum doctissimo Domino WIDE-BVRG ^(a) ultimum credimus, ita tamen, ut etiam fiscum imperii haud fuisse istis temporibus angustum putemus. ^(b) RVDOLPHO ipsi facul-

(a) in eleganti libello: *de libertate. S. R. I. Elector. in elig. regib. Rom. §. 4. p. m. 28.*

(b) uid. FVGGERI *Spiegel der Ehren des Hauses Oesterreich* Lib. I. Cap. 9. p. m. 78.

facultates haud deerant, quae decent Imperatorem Romanorum, (c) nec etiam ALBERTVS iis carebat, qui Austriae fertilissimam regionem a patre acceperat. (d) Quae cum ita sint, dubium non est, inopia eorum, quae ad conseruandum Regem decentem splendorem pertinent, Albertum minime fuisse pressum.

Enodato itaque, ut nos quidem credimus, hoc argumento ab inopia fisci desumpto, ad alterum nunc progredimur.

Itaque inquirendum nobis, licuerit eo tempore duos habere reges nec ne? Negarunt

C qui
(c) uide, si lubet Dissertationem nostram: *de Memorabilibus in electione Rudolphi I.* §. VIII. p. 14.

(d) CHRON. AVSTRAL. ad an. 1283. p. m. 467. Tom. I. Collect. FREHER. *Rudolphus Rex Augustae celebravit curiam, ubi Albertum filium suum ducem Austriae & Stiriae constituit.*

quidem hoc Proceres, & assertum suum, tanquam rem conclamata in nullis argumentis demonstrare sunt anni. Ac sicuti ad usum & obseruantiam, tanquam praesidium saepe inter confugiunt, quibus tamen nullum perfugium ibi est paratum; ita etiam exempla, quae Principes eo tempore allegabant magis contra eos militasse, quam eorum causam defendisse uidentur.

Non audita est uox ista: *super regem uiuentem alium inducere non licet*, cum ante magni Interregni tempora FRIDERICVS I. filium HENRICVM eligendum curaret, (a) licet quinque tantum annos habentem. (b)

Itaque

(a) *Chron. Reichersbergense* ad an. 1169. in LVDEWIGII Scriptorib. Bamberg. Vol. II. p. m. 295.

(b) *GODEFRIDI Annales* ad an. 1169. p. m. 339. Tom. I. Collect. FREHER. *silius Imperatoris Henricus undus est in regem Aquisgrani.*

Itaque si tunc non iniustum ducebatur infantem pollere regis dignitate, cur repudiabatur ALBERTVS, qui ea ipsis temporibus erat aetate, ut regere rempublicam posset? Pari quoque ratione HENRICVS ille a Principibus iterum impetravit orando, ut in filium FRIDERICVM regis amplissimam dignitatem transferrent. (c)

Itaque in regia dignitate saepe in regno nostro duo simul fuerunt, & mos a maioribus traditus, ad quem Principes tunc prouocabant, nullum iis perfugium praebet.

Sed aut expertes proceres historiae patriae fuere, aut imperitiam potius simularunt. RV-DOLPHO enim mortuo, cum eligere-

C 2

(c) GODEFRIDVS ad an. 1196. p. m. 361. *Imperator ab omnibus imperii Principibus summa precum instantia obtinet, ut filium suum Fridericum nomine uix triennem in Regem elegant.*

tur ADOLPHVS, dicebatur, ALBERTVM quidem dignum esse, qui imperet, sed negabatur simul licere in Germania substitui in locum patris regis filium. (d) Quasi uero in regno nostro nunquam extiterint OTTONES, nunquam HENRICI, ut alias silentio praetereamus.

Temporibus antiquioribus haec erat in eligendis regibus regula:

Quis melius patruo
Succedat quam quem studiis & carne pro-
pinquum

Ipse sibi heredem quasi designasse uidetur. (e)

Iniu-

(d) *Anonymi Leobensis Chronic. Libr. III. Cap. I. ad an. 1291. p. m. 867. Tom. I. script. PEZII ibi: Responde- tur ab aliis, dicentibus, Albertum quidem dignum, sed non iustum esse, ut filius immediate patri succedat.*

(e) *GUNTHERVS in Ligurino Libr. I.*

Iniustum itaque tunc putabatur, quod ante*ia* iustissimum utilissimumque habebatur. Atque quis non uidet haec omnia Proceres ea mente dixisse, ut non sine ratione repudiare ALBERTVM uiderentur, neque RVDOLPHVS maiorem ex repulsa susciperet dolorem?

§. VII.

Quodsi uero incorruptam fidem professis nec amore quisquam, & sine odio dicendus est, (a) etiam nobis, qui eo semper sumus animo, ut quaeramus uerum, potestatem datam esse credimus, aperte dicendi quid sentiamus de hac repulsa, quam passus RVDOLPHVS est.

Solent, qui in peruvoluendis antiquissimorum scriptorum libris operam collocant, saepe id agere, ut rem ita sese habere contendant, prout aut amor aut odium personae est.

C 3

Mag-

(a) TACITVS Lib. I. Hist. Cap. I. n. 6. p. m. 4.

Magnum gaudium si pio RVDOLPHO hoc negotium feliciter, magna ira si illud ex uoto non successit, ob aduersa Procerum studia. Impetus fit in eos, qui petitioni diui RVDOLPHI refragantur, contumeliosaeque uoces in eos mittuntur. (b) Sed quamuis ob bene gestum imperium mereri RVDOLPHVS uidetur, ut filius in eius locum succederet, tamen libertas Principum eligendi istis temporibus multo maior quam antiquioribus erat, cui detrahere quid, quis audeat? Atque uerissima sunt, quibus celeberrimus quidam auctor docet, neque de Imperatoris, neque de Principum Germaniae iure diminuere fas esse. (c) Quibus praemissis in medium proferamus & ea qui-

(b) uti uerbi gratia a F V G G E R O Lib. I. Cap. 16.

(c) EITEL FRIEDRICH VON HERDEN *Grundgesetze IIItes Stück, Cap. 3. p. m. 203. ibi: Libertate ordinum temperetur Principatus, & Principatu temperetur libertas ordinum.* (d)

quibus RVDOLPHVS inductus ad petendum, & ea, quibus Proceres ad id inducti sunt, ut refragarentur petitioni.

§. VIII.

RVDOLPHI preces his nitebantur:

- 1) Erat Princeps de salute Germaniae meritissimus, & ob eam cauſam iustissimum uidebatur tanti Imperatoris posteros imperare Germanis.
- 2) Pauci fortasse Principum istis temporibus idonei erant, qui imperent, nisi ALBERTVS, tum ob multas alias, tum praesertim ob hanc rationem, quia opibus praeditus erat maximis, Germaniamque non solum regere, uerum etiam poterat defendere.
- 3) Causae etiam repulsa, uti supra iam monitum, minus firmae erant, & mala alias creditur res ipsa, si adductae causae stabiles non sunt.

Quae

Quae omnia quamvis tam certa quam quae certissima sint, tamen non defunt quoque, quae Principes culpa liberant.

§. IX.

Ad primum enim ut respondeamus, diuum R V D O L P H V M habuisse Germaniam plurimiis beneficiis sibi obstrictam, (a) ii etiam non ignorant, qui patriae historiam a limine saltem salutarunt. Neque tamen ob imperatoris in rempublicam merita iure electionis priuabantur Principes, gratumque animum bene de nobis meritus sperare quidem, non autem tanquam plane necessarium quid a nobis repetere potest, praesertim in re tanti momenti. Itaque in eo F V G G E R V S (b) aliquid humani

passus

(a) B O E C L E R I. *Diff. de Rudolpho Habsburgico Germaniae instauratore.* Argentorati 1682.

(b) uid. eius *Spiegel der Ehren des Hauses Oesterreich* Lib. I. Cap. 16.

passus est, quod ad inuidiam Principum referat omnia, ab aliis iam in uiam reductus. (c)
Nullus enim istius aeui scriptorum inuidiae Proceres insimulat, a qua suspicione & hoc illos liberat, quod non unus sed omnes refragabantur petitioni R V DOLPHI. (d)

Quod autem ad alterum attinet argumentum, uerissimum quidem est, ALBERTVM optima stirpe ortum, copiisque fuisse amplissimum. Sed fortasse haerebant dubia Procerum mentibus, digna, quae examinentur diligentius.

ALBERTVM enim seuerum uehementemque esse tunc fama manabat. (e) Praeerat Au-
D striae

(c) Dnus WIEDEBVRG. de libertate Elector. S. R. I. in eligendis regib. Roman. §. 4. p. m. 28.

(d) Ita enim TRITHEMIVS Chron. Hirſ. ad an. 1291.
Tom. II. p. m. 55. *Quod illi facere omnino recusabant &c.*

(e) erat nempe, TRITHEMIO referente, in Chron. Hir-
saug.

striae tam seuere, ut incolae plus uice simplici rebellionem coeparent, (f) ueneno interficere studerent, nobilesque quidam Stiriae OTTONEM Bauaricum orarent, ut subueniret & opitularetur iniuria ab ALBERTO affectis. (g)

Quam ob rem discordiae inter Proceres oriebantur. (h)

Haec omnia eo pertinent, ut probent, deliberandi causas iustissimas fuisse Principibus, cum non nisi explorante eligere regem uellent.

Pro-

faug. ad an. 1299. homo grossus, aspectu ferox, & pecuniae nimis cupidus: Confer. NAVCLERVS, p. m. 980. ALB. ARGENTINENSIS, in Tom. II. Collect.

Vrsis: p. m. III.

(f) R 00 ad an. 1291. p. m. 46.

(g) Histor. Austral. ad an. 1292. p. m. 481. Tom. I. Collect. PIST. Edit. STRV VII.

(h) Chronic. Sti Petri Erfurtense apud MENCKENIVM Tom. III. p. m. 300.

¶ Progredimur nunc ad tertium, quod moveri poterat, dubium.

Non est inficiandum atque supra iam demonstratum, non fuisse ueras rationes, quas afferebant Principes, hoc tamen non obstante res ipsa salua est. Egregio quoque imperio RVDOLPHI uelut macula a quibusdam adspergitur, quod Imperatoris in Italiam iura non solum neglexerit, uerum etiam non nullas ciuitates, pro magna pecuniae summa, cuius studiosiorem fuisse dicebant, a nexu Imperii Germanici penitus soluerit. (1) Cumque eundem Imperatorem eo maxime intentum fuisse non negandum sit, ut familiam opibus & potentia augeret, ea re non potuit non multorum procerum a se alienare animos, qui Habspurgicae familiae incrementum liuido in-

D 2 tueban-

(i) CVSPINIANVS p. 354. TRITHEMIVS an. 1286.
p. m. 49. Tom. II.

tuebantur oculo. L V D O V I C V M enim Pa-
latinum & H E N R I C V M Bauariae Duce
aperte legimus se opposuisse, cum A u s t r i a c a e
ditiones in A L B E R T V M & R V D O L P H V M
Imperatoris filios conferrentur. (k) Nec etiam
mutato rerum statu e re Principum erat Im-
peratorem eligere uiribus excellentem, qui
cum libertati procerum, tum etiam iuribus ab
ipsis acquisitis grauis esse potuerit. Non irre-
uerenter refragabantur petitioni, & id reue-
rentiae erga R V D O L P H V M tribui debet,
quod aliam interseruerint causam, (l) quia for-
tasse odium peperisset ueritas. Namque ueren-
dum erat, ne recusatio eorum magis affligeret
R V D O L P H V M, si aut de eligendi ipsorum
libertate, aut aliis excusationis causis uerba fe-
cissent.

§. X.

(k) F V G G E R. Lib. I. Cap. 13. p. 113.

(l) Dnus W I E D E B V R G loc. cit.

Magna erat res & difficilis, in qua uersabantur Principes. Conuocati erant Francofurti, & petebatur ab iis, ut eligerent ALBERTVM. Breue spatium, maximi momenti res, aduersa optimi Imperatoris ualentudo, haec omnia dubias ancipitesque reddebat Procerum mentes. (a) Itaque optimum erat, quod necessario & ex tempore capiebant consilium Principes, qui in aliud tempus differebant negotium, ne regi seni, & ut uerbis TRITHE. MII utamur, (b) ad exitum uitae properanti, maiorem afferrent tristitiam. Qua quidem

D 3 ratio-

(a) *Chron. Sti Petri Erfurtense cit. loc.*

(b) in *Chron. Hirſt. ad an. 1291. Tom. II. p. m. 55.* Verum tamen ne regem senem, & properantem ad exitum uitae optimo de imperio meritum improuide contristasse uiderentur rem in aliam consultationem deliberationis maturae gratia tandem concluserunt.

ratione non tam denegasse aliquid regi, quam
potius distulisse in aliud tempus electionem filii
uideri uolebant Principes. (c)

Atque si egregiis maiorum exemplis quid
faciendum sit instruimur & edocemur, non mi-
nus ex iis, quae facere debuissent, quid inter-
mittendum haud sit discimus. Imperator RV-
DOLPHVS, qui optime praefuit imperio,
curaeque sibi patriae & familiae salutem sem-
per habuit, grauissimum hoc negotium non,
nisi aeger, moribundus, & letho proximus
suscepit.

Omnes maximi momenti res, non solum
certo quodam modo, sed etiam certo quodam
tempore peragendae sunt. Mutatur rerum
status, mutantur homines, mutantur amici,
occas-

(c) B. HOFFMANNVS de Rege Romanorum uiuente
Imper. electo Cap. II. §. 3. in not. p. m. 43.

occasionesque floribus aloes similes sunt, quos aut carpis celeriter, aut cito redire frustra expectas. Et ita RVDOLPHVS noster bene quidem suscepit summam rem, sed fortasse sero. Recentioris aeui Imperatoribus citius de successore sollicitis, magis prospere hoc operis processit.

Praesertim & IMPERATOR NOSTER GLORIOSISSIMVS, qui cum par est RV-
DOLPHO claritate, eo tamen illum superat,
quod tempestue studuerit perficere id, quod
ille facere conatus est fero.

Nos autem ad antiquiora tempora redeuntes, pergamus in deducendo sermonis filo, dicamusque tantum R V D O L P H V M in aduersa fuisse fortuna, quantus fuerit in se-
cunda.

§. XI.

RVDOLPHVS iam Erfordiae ubi fortasse ultima uice relaxauit animum & iucunditati se dedit, aduersam ualetudinem contraxerat. (a) Quam cum sentiret, Francofurtum ire parauit, (b) ut ultima laxaretur cura. Habitata sunt comitia, quae aeger RVDOLPHVS suis sustinuit humeris. (c) Creuit in dies morbus, quo tamen non impeditus RVDOLPHVS est, quo minus ius diceret. (d) Tandem, &, ut nobis quidem uidetur, post cognitam Electorum recusationem, morbo & labore oppressus

(a) OTTOCARVS HORNECKIVS Cap. 373. Tom. III.
scriptor. PEZII p. m. 341.

(b) IDEM loc. cit.

*Do sich der chunig do versach
Dez Leibes chranckheit
Gegen Schwaben er rait.*

(c) HORNECKIVS. loc. cit.

(d) IDEM loc. cit.

pressus expediuit se ab occupationibus illis maximis, (e) praecepitque Electoribus, reliqua curare negotia, hocque peracto absoluere comitia. (f) Verum enim uero, proceres tristes & conturbati, (g) postquam discesserat RVDOLPHVS, tanquam corpus sine capite, nihil neque agere, neque decernere potuere, & domum quisque rediit. (h)

E Metia-

(e) Contin. MARTINI POLONI ad an. 1291. in ECGARDI Corp. Hist. med. aeui Tom. I. p. m. 1429.

(f) HORNECKIVS Cap. 375. p. m. 341.

(g) HAGENI Germ. Austr. Chron. Tom. I. script. PEZII p. m. 1109. ibi: do wart er kranck, daz der Hoff sich nicht mit Frewden endet.

(h) HORNECKIVS loc. cit.

Daz was aber alles verlohrn,

Do sich der chunig hochgeporn

Nicht selber do vergwiss &c.

Do wolten longer nicht

D9

Metiamur hic R V DOLPHV M nostrum,
 ut Nepos magnos homines metiri solebat, uir-
 tute non fortuna. Stetit pari fastigio in utraque
 fortuna Imperator noster, uirtusque eius nul-
 lis casibus est minuta. R V DOLPHVS in
 bellis uictor, in pace iudex, comes auctoritate
 grauissimus, Imperator potentissimus, pater
 familiae eiusque decus, perpetua felicitate usus
 erat. Tandem qui antea rerum gestarum,
 nunc moderati animi gloria floruit.⁽ⁱ⁾ Retinuit
 usque ad extremum spiritum caritatem fami-
 liae, quae tanta erat, ut magno dolore affice-
 retur, cum non posset perficere id, quod in
 eius

*Do bleibin die Herren,
 Man sach sew von dannen chern.
 Daz waz allen den lait,
 Die sein die Waishait erfunden
 Die ot den Reichen guts gunden &c.*

(i) uid. HEINECCI Antiquitates Goslar. Lib. III. ad
 an. 1291. p. m. 310.

ei⁹ incrementum perficere studuerat. Hoc
tamen non obstante aequo animo haec omnia
tulit, nec ira incensus est. Quam quidem
praeclararam aduersae fortunae patientiam, tan-
to magis miramur, quanto grauiori morbo
aeger tunc erat RVDOLPHVS.^(k) Magno
animi corporisque dolore pressus, utrumque
eo tempore dissimulauit,^(l) neutri succubuit.
Clari & nobilitati Imperatoris uirtute dolores.

(k) OTTOCARVS HORNECKIVS Cap. 375. Tom.

III. script. PEZII p. m. 341.

(l) HEINECCIVS loc. cit.

Tantum.



em intermissione berufere fungueret. Hoc
tempore non opificie sedno summo psecc omnis
littera, nec illa fincibus est. Quam diuidem
liberiusq[ue] q[ui]nque fortunae bestiatis, iuri-
to magis militum, datus glauco mortuo
seger turc etat RADOLPHVS. (k) Magio
sumi corporisq[ue] joyes regiae, nuntiante
co romane grecumq[ue] (l) henti tricunque
Cayi & oppidissi libelioris littime joyes.

(k) otto caravagno etate. (l) 34r

III. epopea etat. (m) 34r

(n) hennecavia loco sic

Thespii.



QK II m 18917

X 237 4681

4 C

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

Q.N. 387, 33.

II n
1877

COMMENTATIO HISTORICA
DE
ULTIMA RVDOLPHI I. CVRA,
VT FILIVS IN REGNO SVCCEDAT.
QVAM
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
AVGVSTO LUDOVICO
DE WVLCKENIZ,
SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO-CAS-
SELLANI MINISTRO STATVS INTIMO, PRAE-
SIDI REGIMINIS ET LEGATO SPLENDIDISSIMO
IN COMITIIS IMPERII GENERA-
LIBVS REL.
IN SIGNVM ADDICTISSIMAE MENTIS OFFERVNT SIMVLQUE
VIRO EXCELLENTISSIMO
FAVSTA QVAEVIS PRECANTVR
LUDOVICVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ, AVCTOR,
ET
CAROLVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ.

FRANCOHVS AE, LITTERIS KEILIANIS,
ANNO MDCLIII.

